



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXLIV. Quinam Angeli in ministerium hominum mittantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

DISPVT. CCXLIV.

Postremo addendum est, quamvis elementum ignis aptissimum sit ad cruciandas animas, quia natura sua efficacissimum est in corpora: eaque vehementius, quam aliud elementum cruciat: ex cruciatu autem corporis tristitia, & dolor in animam deriuatur: tamen nullam nobis suppetere rationem ad probandum, aptius elementum esse naturam suam ad cruciandum demones, quam sit quodcumque aliud elementum: tum quia ratione alligationis æqua esset ratio aliorum, vt constat. Tum quia alius modus quo ab igne demones torquentur, nobis ignotus est. Deus autem iure optimo hoc elementum præcipue supplicio demonum præparauit: cum futurum quoque esset animabus damnatorum causa tormenti.

Hactenus non solum elucidauimus, quæ docet S. Th. in hac 1. p. a. q. 50. vsque ad 64. sed etiam ea, quæ tractat infra a qu. 106. vsque 112. nam quæ disputat de illuminatione q. 106. 108. 109. 111. & de illuminatione, qua homines ab Angelis illuminantur, & de virtute Angelorum supra creaturam corpoream, satis superque examinauimus disput. 215. 216. 217. quæ S. Doctor tractat de locutione Angelorum q. 107. tractauimus ex professo disp. 211. & 213. solum restat, vt de missione, & custodia Angelorum, & de oppugnatione demonum aliqua dicamus, de quibus disserit S. Th. infra q. 112. 113. 114.

DISPVT. CCXLIV.

Quinam Angeli in ministerium hominum mittantur.

Due opposita sententia. cap. 1.

Iudicium de vtriusque opinione. cap. 2.

CAPVT I.

Due opposita sententia.

Ex his omnibus, quæ hactenus à nobis dicta sunt, perspicuum fit, duas esse classes Angelorum: alteram bonorum, quæ Deo per visum clarum, & charitatem perpetuo adheret, alteram malorum, quæ æternis cruciatibus inferni addita est. Ex quibus duæ aliæ diuise sunt, altera malorum, quos permittit Deus hominum salutem infideliari: altera bonorum, quos tutelares nobis constituit, vt non solum contra insidias demonum salutem nostram spirituales tuerentur, sed ab alijs etiam malis humanum genus incolumem seruant. De bonorum igitur custodia, & malorum oppugnatione hoc postremo loco nobis dissendendum est, de quibus disputat S. Th. qu. 112. 113. & 114. Quo fiet, vt omnia quæ ipse notat à q. 50. vsque ad 64. & à qu. 106. vsque ad 114. his nostris commentarijs & disputationibus elucidemus.

Ceterum vt de custodia Angelorum in disputatione seq. agamus, in presenti explicandam est, quinam Angeli in ministerium hominum è cælis ad nos mittantur? de quo agit S. Doctor q. illa 112. est autem in primis certum apud omnes Angelos quandoque ad homines mitti. Id enim testatur scriptura Exod. 23. Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & Luc. 1. Missus est Angelus Gabriel à Deo. Act. 12. Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Ex Ps. 136. Quis in 1. p. rom. 2.

CAP. I.

733

tribus vero id ex professo docent tanquã certum Dionys. 13. c. de celesti hierat. & Gregor. libro 2. moral. cap. 3. & Hom. 24. in Euang. & alij plerique obiter idque vt notissimum supponunt cum S. Th. infra q. 112. artic. 1. Probat autem S. Thomas in eo a. r. quia, vt docuit ipse supra q. 43. art. 1. ille dicitur ab alio mitti, qui ab alio procedit aliquo modo, vt incipiat alicubi esse, vbi antea non erat, vel vbi prius erat alio modo: Angelus autem hoc modo procedit à Deo: nam, cum sit in cælo, venit ad nos: & hoc nutu & iussu Dei, qui hæc omnia inferiora gubernat, quod est à Deo procedere: ergo mittitur etiam à Deo. Dilectum autem intermissionem Angelorum à Deo, & vnus diuinæ personæ ab altera, manifeste colligitur ex dictis disp. 170. nam missio vnus diuinæ personæ ab altera, est processio ab ea, non secundum imperium, sed secundum substantiam, connotato respectu noui modi præsentia in loco, vt ibidem exposuimus: processio autem Angeli est secundum imperium, de quo non est dubitandum.

Verum inter doctores in controuersia positum est, vtum Angeli omnes mittantur, etiam supremæ hierarchiæ, in qua Seraphin, Cherubin, & Troni recensentur, an non? Theologi nonnulli arbitrati sunt, ordinaria quidem lege Angelos ex inferioribus ordinibus solum ad nos mitti, & extraordinaria lege aliquando etiam mitti ex supremæ hierarchiæ: imo vero ex supremo ordine supremæ hierarchiæ. Quam sententiam probabilem existimat Durand. in 2. d. 10. q. 1. Scotus q. 7. Marfilus Durand. in 2. q. 7. a. 3. in 2. p. cum asserunt, etiam supremos Angelos aliquando ad nos mitti. Eam vero recentiores Theologi multis confirmant.

Primo quia constat, Gabrielem missum fuisse ad beatam Virginem Luc. 1. & alibi etiam in scriptura: Gabriel autem fuit supremus, aut vnus de supremis Angelis, teste Bernardo hom. 1. super illud Luc. 1. Missus est, & Magistro in 2. dist. 10. quorum sententiam sequuntur Scotus in ead. q. 1. & Dur. q. 1. cuique fauere videtur Greg. Hom. 24. in Euang. cum ait, Gabrielem vnum fuisse de supremis Angelorum: neque enim per angelos intelligere videtur spiritus tantum infimi ordinis infimæ hierarchiæ, quos communi voce Angelos appellamus, sed vniuersam naturam angelicam: idque maxime conueniens videtur: nam sicut mysterium Incarnationis & Christi maximum est, ita oportebat maximum inter omnes Angelos mitti ad illud annuntiandum: nunquam autem missus est Angelus Gabriel, nisi ad Danielem, cui mysterium hoc futurum reuelauit, & ad Virginem Matrem Christi, cui iam mox faciendum nuntiari: vt idem Bernard. in eod. serm. sentit, ad Iosephum sponsum virginis, & nutrimentum eiusdem Christi, cum in somnis ipsum corroborauit Math. 1. vt acciperet Mariam coniugem suam, & denique, vt ego etiam existimo, ad ipsum Christum, cum positus in agonia Patrem orauit Luc. 22. conueniebantque, vt Gabriel, qui dicitur fortitudo Dei, vel ad corroborandum Christi humanitatem contra mortis agonem, vel ad laudandam eius fortitudinem mitteretur. Multi enim recte, & diuinis literis consentaneè existimant, Angelum delegatum ad confortandum Christum, non ad corroborandam carnis imbecillitatem, sed ad laudandam eius eximiam fortitudinem missam fuisse: idque nomine confortationis in Scriptura significari cõtendunt quorum

Q99

quorum

quorum sententiam fufius confirmauimus anno 1585. cum in 3. p. S. Tho. a. 4. q. 12. Compluti in nostro Collegio interpretaremur, quæ omnia in eum locum Deo duce typis excusa in lucem dabimus.

Iſa. 6.

Secundo quia Iſaia 6. dicitur, *Volauit ad me vnus de Seraphin, & tetigit os meum*. Miſſus eſt igitur ad Iſaiam vnus Seraphin, qui ſine dubio in ſupremo ordine primæ hierarchiæ collocatur.

Tob. 12.

Apor. 8.

Tertio Tobia 12. dixit Raphael, qui miſſus fuerat ad Tobiam, *Ego enim ſum Raphael vnus ex ſeptem, qui aſſamus ante dominum*. Hi autem ſeptem videtur eſſe ſupremi, vel de ſupremis: nam Apocal. 1. dicitur, *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, & à Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis*: quibus verbis ſignificari videntur ſeptem ſpiritus præcipui, ex ijs, qui Deo aſſiſtunt, à quibus pacem deprecatur fidelibus, ad quos ſcribit: à ſeptem autem ſpiritibus eam non deprecari potius, quam ab alijs, cum eam à Deo, & Chriſto deprecatus fuiſſet, niſi ſeptem illi ſpiritus præcipui eſſent.

Daniel. 10.

Hebr. 1.

Quarto Daniel 10. dicitur, *Ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*. Vbi teſtatur Scriptura Michaelẽ eſſe de principibus primis, hoc eſt Angelis: & tamen dicitur miſſus in adiutorium populi Dei. Quinto ad Hebr. 1. cap. cum dixiſſet Paulus, *ad quem autem Angelorũ dixit aliquando Deus, ſede à dextris meis*: Quibus verbis præferre contendit Chriſtum omnibus Angelis: ſubiungit, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorijs ſpiritus in miniſterium miſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis*: quod ſane niſi de omnibus Angelis intelligeretur, non ſatis Chriſti gloriam comparatione Angelorum hac ratione Paulus commendaret.

S. Thom.

Contra vero S. Th. infra q. 112. art. 2. primum contendit, ſuperiores Angelos nunquam ad nos mitti, ſed tantum inferiores. Deinde in a. 4. docet, ſuperiores, qui non mittuntur, eſſe Seraphinos, Cherubinos, & thronos, quos ipſe S. Tho. q. 108. a. 6. ponit in prima hierarchia ex ſententia Dionyſi, & præter nominationes, quas eodem a. 6. ponit in ſecunda hierarchia: nam reliquos ordines inferiores ad nos mitti exiſtimant, duos ſecundæ hierarchiæ nempe Virtutes & Potestates, & omnes tres tertie hierarchiæ; nempe Principatus, Archangelos, & Angelos. Priorem partem huius ſententiæ probat S. Th. in argumento, *Sed contra, autoritate Dionyſij, quam refert Gregor hom. 34. in euang. poſt mediũ, vbi ita ſcribit, Fertur vero Dionyſ. Areopagita antiquus videlicet & venerabilis pater dicere, quod ex minorum Angelorum agminibus ſortas ad explendum miniſterium vel viſibiliter, vel inuiſibiliter mittuntur, ſcilicet quia ad humana ſolatia aut Angeli, aut Archangeli veniunt: nam ſuperiora illa agmina ab inimicis nunquam accedunt*.

Gregor.

6.

Conſecrat præterea ratione idem Sanctus Thomas hanc ſententiam, quia ſi ordo gratiæ aliquando prætermittit ordinem naturæ, ideo eſt quia ita expediat ad fidei confirmationem vt videamus in miraculis, quæ præter ordinem naturæ fiunt: alioqui congruum videtur, vt ordo gratiæ ordinem naturæ conferuet: mitti autem ad nos ſuperiorem aliquem Angelum, non videtur quidquam conducere ad confirmationem fidei: quia hoc nobis non apparet, & ex alia parte ſufficientiſſimus eſt numerus inferiorũ Angelorum, vt ad nos veniant; ergo non eſt dicendum, ſu-

ARTIC. IV.

premos etiam ordines ad nos mitti quod videtur naturaliter inferioribus conuenire. Eſſe autem ſufficientiſſimum numerum ad maxima etiam denuntianda aptiſſimum, illud maxime conſtat, quod vnus ex Archangelis, nempe Gabriel, teſte Greg. in eadem hom. ad ſummum & maximum omnium myſterium annuñciandum miſſus eſt: ergo vel hiæ etiam licebit conſpicere ſufficientem eſſe numerum inferiorum Angelorum, vt aliqui mittantur ad nos. Poſteriorẽ verò partem huius ſententiæ probat S. Tho. ex omnium ſignificatione. Nam nomina duorum ordinum inferiorum ſecundæ hierarchiæ, & tria nomina tertie denotare videntur miniſterium ali quod: aliorum vero ordinum nomina non item.

CAPVT II.

Iudicium de veraque opinione.

MEa in hac re ſententia eſt, nullum eſſe fundamentum nec in Patribus, nec in Scriptura, vt vnũ, aut aliam partem alieganter tueamur. Tameñ ſine incommodo quodamque defendere poſſit, quam voluerit. Quare Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 10. cum vtramque retulit, & offendit eſt modum, quo ab obſtationibus oppoſitæ deſendi poſſet, prudenter ſatis in hacce nihil deſinuit. Et quidem primum ex Patribus ſi aliquod haberemus firmum fundamentum pro ſententia ſa. c. Th. vt ipſe contendit, eſſet Greg. Magnus in illa homilia 34. in Euang. & Dionyſ. a qui Gregorius Magnus nihil audeat affirmare, ſed aſſert tantum ſententiam Magni Dionyſij ex relatione aliorum, vt ex verbis ſupra allegatis conſtat: & locum Iſaia, quo videbatur probari Seraphinos etiam ad nos mitti, in bonum ſenſum interpretatur, ne cogamur aliter ſuperiores Angelos ad nos mitti: cuius interpretatio ſuit ſa. cuiuſdam Theologi, vt commemorat Dionyſius. Poſtea tamen ſubiungit Gregorius, *Sed quia in quibusdam Scriptura locis quadam per Cherubim, quales vero per ſeraphim agi dicimus, vtrum per ſe hæc ſententia an per ſubiecta agmina agantur, quæ ſicut dicitur in eo quod de maioribus veniunt, maiorum vocabula ſortemur, nos affirmare nolumus, quod aperti teſtimonijs non approbamus*.

Dionyſius vero 7. & 8. cap. de caeliſt. hierarchia vbi citari ſolet, ne verbum quidem de hac re habet: cap. vero 9. habet hæc verba, quibus ſententiam à Greg. relatam expreſſiſſe videtur. De Archangelorum enim ordine ait, *Diuina illuſtratione hierarchia more & inſtituto primorum opera recipit, & ea Angelis benigne nunciat, & per Angelos nobis enuntiat. Deinde de Angelis ſubdit, Eoque reſtituit à nobis Angeli, quam ſuperiores ſuperiorum interpretes nominantur, quorum ſacroſanctus principatus in clarioribus, eadentibus, rebus verſatur, & magis mundum attingit, aut vt habet alia translatio, ſerius mundum attingit. De ſuprema autem hierarchia deinde ſubiungit, *Nam ſumma, vt dictum eſt, ſpiritus deſcribit, quod obſcurum Deo ordine prima vicina eſt, obſcure ſecunda præſentanda eſt. Hæc tamen verba, ſi aliqui habent momenti in re præſenti, probant etiam, Archangelos nunquam ad nos mitti: quod nullus hæcenus dixit. Quare dicendum eſt, hoc loco Dionyſium dixiſſe, Angelos illuminati quidem ab Archangelis, & ab eis ad nos mitti quæ per Angelos**

magis, aut ferme administrantur omnia hæc inferiora: deinde summam hierarchiam, quod Deo proxima sit, præesse secundæ: at nunquam ex illa aliquem ad nos mitti, non dicit, nec leuiter infirmat Dionysius.

Postremo allegari solet cap. 13. eiusdem libri, ubi quæstionem hanc ex professo explicare videtur. Verum eo loco solum tractat locum illa. 6 quem pro priori sententia allegauimus. *Voluit ad me vnus de Seraphin, &c.* Ibi autem non tractat, vtrum ad nos mittantur Angeli tantum inferioris hierarchiæ, an etiam supremi; sed quare Seraphin ad purgandum prophetam Isaiam missus dicatur, & non aliquis inferiorum Angelorum: de alijs vero missionibus vtrum in eis Angeli inferiores tantum; an etiam aliquando supremi mittantur, non disputat Dionysius. Locum autem Isaiæ bifariam exponit. Vtramque vero interpretationem inferius referemus. Et quamuis dicat, priorem interpretationem esse nonnullorum, posteriorem vero à quodam alio se audisse: neutram tamen accepisse à suo sacrorum initiatore, nempe à Paulo, à quo ipse testatur cap. 6. doctrinam illius libri se accepisse, manifeste constat ex eo, quod prope finem illius cap. 13. cum Timotheo ad quem scribit librum illum, de vtriusque interpretatione ita loquitur, *Tu vero intelligendi, discernendique scientia erit aut alteram causam earum, quæ expositæ sunt, te ex quæstione dubitationeque explicare, atque eam alteri antepone, &c.* Non igitur autem Dionysius aliquam ex illis definite approbare, sed Timotheo id iudicandum relinquit. Quod si aliquid horum à suo Magistro Paulo didicisset non dubitaret, sed audacter illud affirmasset. Ex quibus constat, in sanctis Patribus nullum esse firmum fundamentum aliquid definite pronuntiandi: sed potius exemplum nobis præbuisse, vt in re tam occulta nihil definire audeamus.

10. Præterea ratio S. Th. non conuincit, Angelos supremos nunquam ad nos mitti. Nam quamuis illi sint superiores natura sua, & naturæ ordo prætermitti non debeat, nisi pro fidei confirmatione: nihilominus aliqua ratio subesse potest, vt supremi Angeli ad nos mittantur, nempe vt nobis annuntient eximium aliquod nuntium, & Evangelium, quale erat mysterium Incarnationis: nam & reges hoc obseruare solent, vt cum aliquid magni cum absentibus efficere volunt, vt si velint alicui Regiæ filium suum matrimonio copulare, mittant vnum ex dynastis & primoribus regiæ, qui solent in palatio regio cōtinuo altare. Quid ergo mirum, si Deus volens facere nuptias filio suo cum Ecclesia, & ætiori vinculo, quam matrimonij, vnire personæ eius cum humanitate in vtero Virginis, mitteret vnum ex primis, & non infimis Angelis, qui in conspectu throni sui perpetuo sunt? Quod vero dicit S. Doctor ex inferioribus solum mitti duos ordines secundæ hierarchiæ, & tres ordines tertiæ, certum etiam esse nequit. Nam quamuis nomina horum magis denotare videantur ministeria, quam reliqua: id non obstat, quo minus etiam aliquando alij ordines, licet rarius, mittantur. Quod vero dicebat, ad Virginem mittendum fuisse Seraphinum, si aliquis vnquam mittendus erat, fateamur potius ad hoc mysterium mitti debuisse: sed & hoc certum non est, vt ex seqq. patebit: neque certum esse potest, fuisse tantum Archangelum de tertiæ hierarchiæ, vt ipsum

Vaques in 1. p. tom. 2.

vocat Greg. siquidem & ipse Greg. non fuit ausus definire, an mitterentur aliqui de supremis spiritibus: fortassis igitur vocauit ipsum Archangelum communi quodam vocabulo, vt significaret præcipuum quendam Angelum, sicut dixerat prius esse summum quendam Angelum. Ex his constat, nullum esse efficax argumentum, aut fundamentum firmum authoritatis pro posteriori sententia, vt dicamus, nullum ex supremis Angelis vnquam ad nos mitti. Sed nec pro priori opinione vllum est, vt mox inductione ostendimus dissoluentes singula eius argumenta.

Primum argumentum erat de Gabriele, quem ad Virginem missum esse, & esse ex supremis testatur Bernard. sicut & ipsa legatio postulare videbatur. Hoc tamen argumentum non multum roboris habet: nam & Bernard. non dixit expresse, fuisse vnum de supremis, sed dixit: *Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causis crebra soleant ad terras fungi legatione.* hoc autem verum esse potuit, etiamsi esset de ordine Archangelorum, qui in infima hierarchia sunt. Ex Bernardi autem ratione colligi videtur, fuisse de supremis: ait enim ideo dictum fuisse à Deo missum, quia non erat de minoribus: minores enim ex sententia Scholasticorum non à Deo proxime, sed ab alijs superioribus mittuntur.

Ceterum Bernard. non conuictus hac ratione aliam etiam subiungit, quare dicatur missus à Deo: ergo non tam asseueranter affirmat, Gabrielem fuisse de supremis, vt & nos etiam definite id debeamus pronuntiare. Sed neque Bernard. fundamentum aliquod firmum esse potuit definite asserendi, Gabrielem fuisse vnum ex supremis, quia Scriptura dicat, *Missus est Angelus Gabriel à Deo:* namque & Angeli inferiores, qui medijs superioribus à Deo mittuntur, dicuntur mitti à Deo. Exodi enim 23. dicitur de Deo, *Ego ego mittam Angelum meum,* scilicet ad Moysen, vt deduceret filios Israel, quem fuisse Michaëlem præpositum illius populi, colligunt Doctores ex Dan. 10. c. de quo inferius dicemus. Et Act. 21. dicit Petrus, *Nunc scio vera, quia misit Dominus angelum suum,* quæ sane fuisse custodem Angelum Petri, probabilissimum est: aut certe fuisse aliquem ex supremis, nullas affirmare auit. Gregorius autem de Gabriele non dixit, fuisse summum Angelum, quasi de ordine Seraphinorum: cum plane dicat, fuisse Archangelum: sed intelligere potuit summum Angelum comparatione facta eorum, qui in inferiori ordine numerantur. Et quamuis excellentiæ mysterij annuntiandi congrueret supremus Angelus, si à Deo mitteretur, nec ille vlla ratione designari posset: incongruens tamen non esset, si per aliquem Archangelum annunciaretur. Vtrique enim modo potuit à Deo reuelari, & annuntiari: quare quid factum fuerit, ex ratione congruentiæ non cogimur definite affirmare.

Secundo locus Isaiæ, *Voluit ad me vnus de Seraphin, &c.* qui afferebatur pro priori sententia, non cogit asserere, fuisse de supremo ordine Angelum illum, qui missus est ad Isaiam: sed, vt ait, Dion. 13. cap. de cæl. hier. responderi potest, dictum esse Seraphinum quasi ignitum, ab officio & munere purgandi: præsertim cum propheta purgatio per ignem futura esset: & ita dictum fuisse, vnum ex Seraphin, hoc est, ex ijs virtutibus expiatriebus, quæ nobis præstunt, quæ sane

Q 9 2

inter-

Prioris sententia argumens fuisse.

12.

Exod. 23.

Act. 21.

Elucidatur locus Isa. 6.

Dionys.

13.

interpretatio mihi maxime probatur, & aliorum Theologorum esse testatur idem Dionysius. Vel ideo Angelum illum dictum esse Seraphin, quia suam expandi & scientiam, & vim Deo quidem tanquam authori, Seraphin, autem quasi primo sacerdotum Pontifici tribuebat; sicut etiam nos expiationem peccatorum non solum Deo ut authori, sed etiam Christo secundum humanitatem ut primo sacerdoti referimus: quam etiam positionem assertit Dionysius ex quodam Theologo, ut supra diximus. Vtramque etiam probat S. Thom. q. 112. a. 2. ad 2. Præterea cum visio Iſaiæ fuerit tantum in spiritu, & non oculis corporeis, ut disp. 55. cap. 5. dictum est: non potest ex illo loco probari Seraphin missum fuisse ad Iſaiam reipsa, sed tantum in visione imaginaria.

S. Thom.

Locus Tob.
12. exponitur
147.

Tertius locus Scripturæ pro priori sententia erat Tobie 12. ubi Raphael, qui ad Tobiam missus est, dicitur vnus ex septem spiritibus: verum hic locus minus habet momenti. Fatemur enim Raphaellem esse vnum ex septem principibus, qui astant ante Deum: dicimus tamen hos spiritus non esse Seraphinos, sed septem Angelos præpositos vniuerso orbi, qui curam illius gerant, ut late ostendi supra disp. 180. cap. 1. à quibus etiam Ioannes tanquam à ministris deprecatur pacem, & gratiam fidei libis, ad quos scribit Apoc. cap. 1. ideo autem prius ab eis, quam à Christo pacem deprecatur, aut ut ostendat Christum secundum humanitatem minoratum fuisse ab Angelis: aut quia cum multa deinde de Christo dicturus esset, maluit postremo loco ipsum commemorare, ut deinceps de eo tantum loqueretur. Quod vero quidam contendunt, per septem spiritus ibi significari non Angelos, qui sunt septem principes terre, ne Christo præferrentur in deprecatione: sed Spiritum sanctum, aut eius charismata: mihi non placet, tum quia Spiritum sanctum inepte significaret Ioannes per septem spiritus: nam quamuis dicatur septiformis spiritus, nunquam tamen appellatur septem spiritus: tum etiam quia neque charismata spiritus congrue significarentur: nam neque à donis deprecamur gratiam, & pacem: neque dona ipsa dicuntur stare ante thronum Dei.

14.

Declaratur
locus ad
Hebr. 1.

Quartus locus Dan. 10. de Michael, qui dicitur vnus de principibus primis, eodem modo intelligendus est, ut principes dicantur septem illi spiritus præfecti vniuerso orbi. Quintus locus est ad Heb. 1. Nonne omnes sunt administratorij Spiritus? Responder autem primum S. Thomas questione illa 112. articulo 2. ad 1. omnes quidem Angelos esse administratorios spiritus, quia mittuntur in ministerium vel missione interiori ad alios Angelos inferiores quibus mysteria reuelant, vel exteriori ad nos, ut aliquid exterius operentur: & sic comparari Christum omnibus Angelis. Hæc tamē solutio difficultat non caret. Nam illuminatio, non est missio inuisibilis: neque enim Angelus superior illuminans inferiorem venit ad illum; neque exit, quia non mouetur secundum locum: ut autem mitteretur, deberet secundum locum venire, aut nouo modo apparere. Præterea dici non potest mitti, quia aliquid operetur ad missionem inferioris: hoc enim valde improprie diceretur: Apostolus autem dicit, omnes mitti.

15.

Deinde respondet S. Doctor, Paulum ibi com-

ARTIC. IV.

parare Christum non omnibus angelis, sed solum, per quos lex Moysis data est. Hoc tamen meo iudicio parum esset. Contendit enim Paulus omnibus simpliciter præferre, ut ostendat ipsum esse vere filium Dei: ideoque præcedit verba, Cui enim dixit aliquando Angelorum, siue estis? & iterum: Ad quem autem Angelorum dicitur quando, sede à dextris meis? & postea subiungit: Nonne omnes sunt administratorij Spiritus in ministerio Christi? Si autem non omnibus Angelis comparasset Christum, non probaret, ipsum solum esse filium Dei: quia non ostenderet Paulus Deum idem dicere non potuisse alicui etiam angelorum.

Quare respondeo: verba illa, Nonne omnes, &c. referri quidem ad omnes ordines & hierarchias: verbis tamen illis: In ministerio Christi, non significari, Angelos ex omnibus hierarchiis, admissos esse in ministerium: nam licet verbum illud, Omnes, referatur ad omnes hierarchias, & ordines, referatur etiam ad singulos Angelos cuiusvis ordinis. Etenim Paulus non minus præferre contendit Christum singulis Angelis cuiusvis ordinis quam singulis ordinibus & hierarchiis in vniuersum: atqui nemo dixerit, singulos Angelos inferiores, medios, & inferiores missos esse: e contra illo loco probari non potest, aliquem ex superioribus hierarchiis missum fuisse.

Ceterum argumentum Pauli optimum est: nam ostensa conditione vnus Angelus, etiam infirmi, recte etiam ostenditur natura cuiusque, & si vnus est natura & conditione minister, & seruus, missus in ministerium: ceteri etiam eiusdem conditionis erunt, ut mittantur, licet non dum missi sint: nam neque Rex, qui nulos ministros habet in domo sua, singulos à se mittit in alium locum: conditione tamen singuli tales sunt, ut mitti possint, nec vlli eorum dicatur, Sede à dextris meis. Hæc solutio non solum præferim vim habet si dicamus, omnes angelos esse eiusdem speciei, sed etiam si specie differre existimemus, eodem modo probat: de omnibus enim inquit Paulus, esse administratorios spiritus in ministerio missos, quia apti sunt, ut mittantur. Cum igitur negare non possimus, cuiusque Angelo sapientia natura hoc conuenire, ut mitti possit in ministerium, & utrum missus fuerit aliquis superius, an non, quæstio sit facti, de quo nobis nihil conuenire potest: satis erit nihil in hac re definire pronunciare.

DISPV. CCXLV.

De Angelis tutelaribus, & demonibus oppugnantibus.

De custodia bonorum Angelorum. cap. 1.
De oppugnatione demonum. cap. 2.

CAPVT I.

De custodia bonorum Angelorum.

EX Angelis, qui ad nos mittuntur, quoddam esse tutelares, quibus homines à malis solent liberari, ex Scriptura indubitatim est. Dicitur enim Genes. 19. Angeli eduxerunt Lot, & posuerunt eum